

1607 standis non tenerentur , attamen veterem erga gentem propensionem eo argumento probatam voluisse : sperare , additis sociorum auxiliis , facile suspiciones omnes amotum iri : bortari , suadere , ut rerum suarum tutela contenti , nibil , quo in se finitimorum arma provocent , moliantur . Tunc Salices majora exposcere : Quid opis , si ad arma ventum esset , Rhætos afferrent , flagitare : de propugnaculo adversus Fuentanam arcem exstruendo consilium atque auxilium requirere . Eodem tempore Antonius Maria Vincentius significabat , multa , quo minus perficerent ea , quibus ex pactione tenebantur , Rhætos impedire : Vulturenæ vallis præsidio militum ac præfectorum numero imminuto , quot polliciti fuerant , milites præstare non posse : majora stipendia petere ; ut transitum per eorum fines concederent , concilium (quod Pittacum appellant ) evocandum . At Salices contra Patribus affirmare , persancte Rhætos fœderis pacta servatuos , transitum , licet vehementibus urgeantur officiis , concessuros . Neque minus laborabant Patres de itineribus , quibus Germani iter habiti dicebantur , obsepiendis . Propterea Ferdinandus Rubeus , tormentorum præfectus , sedulo Veronenium aditus ac semitas notaverat . Ut Benaci custodia , decem longis navigiis biremibus adjectis , augeretur , sancitum . Benedictus Pisaurus Benaci præfectus lectus : Antonius quoque Landus cum summa auctoritate annonæ militaris curator in continentem missus .

Benedictus Pisaurus Benaci lacui præfetus.

Antonius Landus annona militaris curator.

Franciscus Jojeufa Cardin. a Gallia Reg. Venetas missus.

Henricus de componendis Venetorum cum Pontifice controversiis vehementer solitus , Franciscum Jojeufam , Cardinalem , nobilitate , virtute , rerumque usu insignem , Venetas mittere statuit , ut ejus auctoritate aliqua concordiae ratio iniretur . Is e Gallia per Allobroges in Italiam profectus , Taurinumque in subalpinis accedens , secundo Pado Ferrariam delatus , cum ad Pappociarum vicum aliquot dies commoratus esset ; de ejus adventu Patres certiores facti , ut a Fossæ Clodiæ prætore Reipublicæ nomine exciperetur , jussere . Decimosexto kalen. martii a purpuratis Senatoribus ad Sancti Spiritus fanum cum publicis navigiis obviam itum . Aedes illi , quæ olim Ferrariensem Ducum fuerant , tuncque ab Antonio Priolo , Marcio Procuratore , obtinebantur , tributæ , viatus-